

causa delectantur. Quod suis precibus, sacrificiis re-compensare paratissimi sunt. Haec, si placet, Badenam ad affinem f. Landelini Sigismundum Marqualder, in curia ibi habitantem, vel Lucernam in domum Engelbergensem mittere poterit, unde recte ipsis transferentur.

Ex monasterio Engelbergensi 13 Decembris [1633].
Reverendissimae suae paternitatis filius infimus
f. Placidus Vogler.

Eigentl. Original in dem Ettenheim-Münster'schen Briefbuche Nr. 7 (Copeibuch Nr. 329*).

7. Geleits- und Crebenz-Brief des Abtes Caspar Gejger für einige Ettenheim-Münster'schen Conventualen, d. d. Ettenheim, 20. März 1634.

Omnibus praesentes inspecturis, lecturis, aut legi audituris, preces humiles, obsequia, salutem, ac aeternam benedictionem cum sancta pace. Nos infra subscripti, humilis in Ettenheim-Münster abbas, nunc exul, et conventuales, hac rerum tempestate, diu iam multumque furiosis fluctibus in Syrtes ac Charybdim agitati, tandem insontes, furentibus, procellis monasterio expulsi ac monasterio nostro in aliorum manus devoluto. Nobis ita expulsis, miseris ac in summam paupertatem redactis nihil amplius restabat, quam baculo inniti, deo fortunaque duce ubicunque locorum piorum omnium subsidia quaerere, exposcere, exorare, ut non ignari mali miseris succurrere dignentur. Quare nos Casparus abbas ita, ut dictum, a dei manu tacti confratribus ac conventualibus nostris in sancta obedientia dimissis hisee manu ac sigillo nostro concedimus plene facultatem, ordines suscipiendi, quo melius sustentationem acquirere possint et valeant*. Quare reverendissimum ac illustrissimum apostolicae sedis cum facultate a latere legati Nuntium Lucernensem, ad quem praesentium latores fratres, Meinradum, Florentium, Etonem, Coelestinum, Aygulphum pervenire contigerit, ut iisdem fratribus collatione sacrosanctorum ordinum; alios vero ad quos diverterint, ipsis petentibus plane pauperibus ac miseris, ut subsidio sanctae misericordiae ac charitatis subvenire dignentur, in visceribus Jesu Christi rogamus, obsecramus et humiliter imploramus, recepturi procul dubio a deo, rerum omnibus largitore, largissimam suarum rerum benedictionem, compensationem, ita ex animo devovemus.

Ettenheim, 20. Martii 1634. Fr. Casparus.

Eigentl. Orig. in dem Ettenheim-Münster'schen Briefbuche Nr. 7 (Copeibuch Nr. 329*).

* Siehe wegen dieser Stelle den vorhergehenden Brief.

8. Schreiben des Subprior's Constantin Zll* und Muderer an den Abt Martin von Ebers-Münster, d. d. Ettenheim-Münster, 10. September 1634.

Reverendissimo in Christo patri ac domino, domino Martino, Aprimonasterii abbati dignissimo, congregationis beatae Mariae virginis per Alsatiam visitatori meritisimo, domino nostro summa semper observantia prosequendo. Reverend. in Christo pater colendissime, pacem peroptandam cum omni corporis et animae felicitate paternitati vestrae vestroque conventui votis humillimis assidue precamur. Reverend. pater etc. quantum doloris et lamentationis vulnus praeter caeteras horum temporum pessimorum plagas inflictum nobis, dum reverend. noster piae memoriae vitam hanc calamitosam deserens, ad coelestia utique gaudia divino fato felicitur avocatus est, vel ex hoc licet conjicere, quod velut orphanum proprio destituti consilio supplices ad aliorum nos asyllum conferre cogamur, qui non solum consilio nobis et auxilio sint, sed sua etiam auctoritate protectioneque benignissime nos tueantur. Inter quos prior est reverendissima paternitas vestra, ad cuius innatam clementiam et patrocinium confugere pari cum fiducia et humilitate non veremur, filialiter submissequae confidentes, inde nobis solamen et auxilium proventurum, ubi spes salusque nostra firmiter radicata est. Novit dubio procul reverendissima paternitas vestra profligatum nostri monasterii penitus statum, novit confratres nostros religiosos diversis in locis exules detineri, sicut et nostrum solummodo tres inter domesticos parietes in summa necessariorum penuria fere prius quam exulamus. Et pro dolor cum capite nostro privati sumus, quanta¹ cum difficultate desperato hoc tempore convocari possint fratres ad abbatem novi electionem plus quam notum est, nec si convocarentur, sine summo periculo fieri posset electio, praesertim, cum generalis sub cuius potestate nunc omnia nostra sunt, nullo pacto concessurus esset. Et quod summe dolendum, si tempus electioni ordinariae praestitum praeterlabatur, quid de jure monasterii futurum sit, an non ad alienas manus recidat, cum ignoremus non nisi ad reverend. paternitatem vestram omne nostrum refugium merito dirigimus, humiliter petimus et rogamus, se nobis auxilio, directione, protectione, patronum, Maecenatem, patrem clementissimam praebere non dedignetur. Simul illustrissimo reverend. generosissimoque domino, domino Hermanno Adolpho

¹ quarta, §j.

* P. Constantin Zll von Ettenheim-Münster starb 13. August 1658 als Vicarius in Riegel, über 70 Jahre alt.